



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv**

**More, Henry**

**Avdomari, 1660**

n. 32.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38320**

1602. ille adiuncto nouo milite aduolat, omnia perlustrat; monitus de inexpectato tumultu, cum iam nulla esset euadendi spes, me palam obijcio homini furibundo ut si quid posset innocens fiducia redderem mitiorem: Ille rugatâ fronte & auerso vultu, nè quidem dignatur alloqui, sed mittit examinandum ad iuuenem quendam cui aliquot ingenij videbantur inesse grana, cæterum mera erat verborum sarcina: Orditur compendio totam vitæ suæ narrare periodum; Studuerat Oxonij, peregrè profectus fuerat in partes transmarinas; egerat cum Iesuitis; addixerat se ministerio verbi; habuerat ad populum tres conciones; Patriam videns sub armis gemere, hæc ut respiraret accinxit gladium, vtramque secutus Palladem; hoc multa perpetraverat totus factus ad arma: Tum in laudes Chiliarchæ effulus non vulgarem deprecabatur eius pietatem, addebat munera quæ gessisset in Angliâ & in Hybernia vbi Iudicis expleuerat locum: Nunc vero sibi demandasse has partes ut me & Sacerdotem esse & Iesuitam pronunciaret, adeoque reum mortis. Arbitrabatur fortassis mortis nomine terrorem mihi incutere, At ego me non esse dixi eum qui vel eos titulos, vel mortem propterea mererer. Nugæ, inquit, hoc supponitur. Cui ego, si hoc supponendum, si ita tu vis esse, quid porro expectas.

X X X I I. Die insequenti frequens accurrit omnis conditionis populus spectatum & locum, & me quid monstri essem. Honestioribus modeste petentibus respondeo me esse Catholicum cætera tacens. Sublecuti rudiores ex fæce indignis me modis habuere: Hic capite inclinato rogabat absolui, alter contra Religionem euomebat plaustra mendaciorum: Ego inquit alius, ducam te Londinum ut suspendaris; Ego te strigolo equo imponam ligatis sub ventrem pedibus ut discasequitare: & mille huiusmodi, Miserrimum vero erat videre eorum comburi Sanctorum imagines, & quidquid sacri reperire potuerant. Inter alia producituri Christi crucifixi statua, formâ sat iustâ eleganter sculpta, quam mihi ego curaueram ante quadraginta annos, & tanti temporis vlu quasi consecratam habebam in pretio: Hanc in media aula expositam mille ludibrijs & sannis cumulabant: tenuitque insolentia totos decem dies; si quid de nouo inter perleratandum occurrisset, nouus inde triumphus agitur, & festiuus in aula ignis, injiciuntur Missalia, corpus iuris Canonici, alijque libri multi & magni pretij, non sine plaulu malignantiû: cum interim nemo mihi notorum auderet se ostendere, ne eodem mecum periculo inuolueretur. Cum verò satis superque hic tumultuatum esset, ducor ad vicinum oppidam non sine solemnitate; Præibat qui statuam, quam dixi, Christi Domini, progredienti præferret, sequebar vectus iumento lat pigro, at calcibus, cum calcaria deessent, tam gnauius tandebar animalis vtrumque latus, ut facile animadueteretur, non tantum gratum, sed gloriosum mihi esse quam proximè ducem meum & Magistrum in Cruce representatum sequi. Stipabant decem milites armati; in ingressu oppidi clamatis qui Crucifixum præferebat, Ecce, hic Papistarum Deus est. Frequens erat in foro populus incolarum & eorum qui ad mercatum eo die conuenerant: Hæserunt ad  
spectacu-



pectaculum attoniti; neque præter vnam mul'erculam auditus est quisquam intolens aliquid acclamare. Cum ex equo descendissem ducor in cænaculum; accumbebant tunc forte menlæ (erat enim meridiæ) decem viri militares cum Chiliarcha: hic ad suos conuersus, Noui, inquit; ego hunc hominem; eumque vidi inter Iesuitas Gandati ante tres annos. Similem fortasse, inquam, me vero à decennio nemo extra Angliam videre potuit; At ille quod semel dixerat, ab eo abduci potuit nunquam, neque fuit in causa quod mihi magis noëuerit quàm huius malè fundata, sed pertinax assertio. Amotâ mensâ ibat Chiliarcha in laudes Iesuitarum; dicebat esse viros perhumanos, doctos, pios in suo genere, temperantes, tales denique vt reformatæ Religionis homines pudere debeat vitæ suæ perquam dissimilis; At, inquit, hæc omnia commaculant suâ doctrinâ meritum; & abit. Succedit vulgi turba quasi pro interludio, & varijs gesticationibus ad ludicra prouocant tanquam si magus essem aut præstigiator: stabam tanquam vrlus ad palum neq; deerant canes qui me exagitant; donec post horas aliquot dilabente paulatim cum die populo duxit me perhumaniter hospita ad cubiculum eo loci & temporis non incommodum; itaque illa nocte non male quieui; custos obleratis foribus dormiuit in proximo.

XXXIII. Sequentes dies literarijs velitationibus impenduntur cum Ministellis superuenientibus; imperito hominum genere, itaque, quæ Dei bonitas est, nunquam non euasi Superior. Fama interim percrebuit me Episcopum, imo & Cardinalem esse, vel certe magnum aliquem & insignioris notæ virum. Hinc summo Præfecto armorum illius regionis videnti me cupido, & apud se lucrî causâ detinendi: Aberat duorum vel trium dierum itinere Staffordiæ; fueram ex incommoda itinerum hospitiormque commutatione tactus dextrum latus paralyti, vixque me vtcunq; receperam quando triobolari equo impositus auctor; & primum quidem cum essem concensurus miles dux meus & custos videns me lenio & infirmitate propè confectû & claudû furias in me suas omnes conuocauit, & cum mille iuramentis & execrationibus clamabat, Ego hunc veteratorem, hunc Papisticum Sacerdotem confodiam; liberabo me & socios propediem hac molestia, & similia multa: Comitæ tamen & communibus beneuolentiæ significationibus ita detinxi comitem hospitumque animos, vt neque de equo post primum diem neque de obsequio vlla mihi querela esse potuerit. Ipo Præfecto armorum nullus humanior, donec post dies aliquot vilis quâ eram indutus lacerna, magnorum nominum neglectus, & reliqua conuersatio vulgi opinionem aliò vertent & me cum paupertate mea in locum mihi idoneum retruferunt, sed permolestum propter pædorem, & vermium copiam. Crescente deinde captiuorum numero transferimur omnes in eiu'dem vrbis domum conductitiam vbi humile quidem & male materiatum de cæteris autem non incommodum cubiculum mihi obigit, lectus honestus cum camino. Arctiores tamen vigilæ; nec cuiquam dabatur accessus sine Gubernatoris aut Commis-